Stanisl.

Jambicki Thomae: Pantheon theologiis honoris basilicum —

PANTHEON THEOLOGICI HONORIS BASILICVM,

PERILLVSTRI, & ADMODVM REVERENDO DOMIMO,

D. M. MATHIÆ STANISLAO PSOIECKI,

S. Th: & Iuris Vtriusq; Doctori, Protonotario Apostolico, Collegæ Majori, Ecclesiæ Collegiatæ S. Floriani Canonico, Procuratori Vniuersitatis, Contubernij Iagelloniani Prouisori, Curato Osiecensi, S. R. M. Secretario.

DVM

In Alma Vniversitate Cracouiensi, Pro Loco, inter Perillustres, & Admodùm Reuerendos, Sacræ Theologiæ Doctores obtinendo, In Nobilissimo, Illustrium Hospitum consessu, RITU SOLENNI RESPONDERET, insigni Virtute, & Sapientia Architecta

ELABORATVM;

Et Submissæ observantiæ, atq; gratulatorij applausus ergo,

A

M. THOMA IAMBICKI,

Phiæ: Doctore, Collegij Lubransciani Posnaniensis, Rhetorices Professore,

In Orbis Literati faciem

PRODVCTVM.

Anno Salutis 1691. Die 6ta, Mensis Septembris.

GRAC: Typis Nicolai Alexandri Schedel, S.R.M. Ord: Typ.

PANTHEON
THEOLOGICI HONORIS
BASILICVM.

ARchitecturam Novi Operis molior,
Sacer vtiq; Dædalus;
quia non vt Theſeos in Cretæ Labyrintho capiam;
ſed vt Virtuti conſtet ſua,
etiam ſupra Ioves Olympicos magnificentia,
Pro eius Maieſtate, & gloria operabor.
Non fatigabit moles hæc, quantumuis auguſta,
Muſarum lubentias, & Gratiarum dulcorem;
qui onus in amore alleviat;
Et licet Briareus non ſim; ſub pondere tamen hoc non ingemiſcam;
quia levius mihi ex affectu ſinceriſsimæ lætitiæ prodibit;
quàm olim ad Cytharam Amphionis Thebarum mænia ſurrexêre.
Ecce manus, ecce brachia,
ecce hùc expanſi propè ſubſiliunt lacerti,
quò opus Baſilicum vocat;
nimirum PANTHEON, ſed Romano magnificentius:
quamvis in illo,
poſt triumphatum tot ſæculis ab Vrbe condita Orbem,
Diui per compita variè ſparſi,
Et cum Sacris pulvinaribus ſuis, ceu Scythæ, cum Papilionū Curulibus,
Totâ Vrbe vagati,
Ægrè tandem in vnum convenerint.
Habitavêre quippè aliquando etiam Dij in terris,
fortè nondùm Cives, ſed inquilini;
In ædiculis ſanè Auguſtis,
In quibus, tres patuit Cæli ſpatium non amplius ulnas;
Sed evaſêre tandem ad Capitolia, æſq; Corynthium,

Ad ſyl-

Ad ſylvas Columnarum, Myronis, & Polycleti ebora,
Etiam Romani Populi numerum iam propè ſupergreſſa.
Quantuli fuerant illi!
In Exquilijs ſuis, an fortè quisquilijs?
Qui primùm Vrbem Quirinam incoluêre Penates,
Viminei toti, vel ſaligni;
quibus ſuffecerat pro Cæmento limus,
pro marmore pumex, pro tegmine arundo.
Sed poſtquam è mapalibus ſuis emerſêre,
ecce illis nec Palatini, nec Tarpeij ſufficiunt colles;
ecce illis caſa Romuli pudor, quin & Parij lapides in columnis deſpecti,
ceſpitumq; tegulæ, in auri laminas verſæ.
Ita ne verò & boni Indigetes,
è cellulis, Cryptis, ſpecubusq; ſuis egreſsi,
Romæ, in qua Orbis totus, devictus, & captus conſederat,
de anguſtijs ſuis queſti fuiſſent?
Niſi illis per ſeptem colles extendiſſet ad magnificentiam,
Templum pacis Veſpaſianus,
& PANTHEON Agrippa.
Datum id ſuperſtitioni, quantùm debetur ſapientiæ, & virtuti!
Genius illis Divinus, & indoles non humana,
Animorumq; Reginæ niſi baſilicè habitent;
infra Maieſtatem ſuam reputant,
indignæ terris, & mox cum Aſtrea in Cælum rediturae;
Niſi illis PANTHEON, & quidem Auguſtum ſurgat.
Sed hìc non ſudabunt Ponti latumiæ;
Diphenus, & Scyllis non laborabit, nec Memphis Ægyptia gemet;
nullaq; Epheſinam Divam, ex centũ viginti ſeptem Columnis deſeret;
Vt opus Baſilicum Cælo tholum imponat.
Tota hìc moles, tota ſtructuræ Maieſtas
Ab animo, qualis tuus eſt,

PERILLVSTRIS, & ADMODVM REVERENDE DOMINE,

MATHIA PSOIECKI,

S: THEOLOGIÆ DOCTOR DIGNISSIME;

Cui ex Te ipſo omnis fodinarum origo,
& maius tota Hellade pretium.

Excellentia operis,
Quod Tibi in Sacra Theologia surrexit,
Bases suas fundavit, non in lapide Memphitico,
nec in Crustatis Asiæ segmentis;
Quæ edacissimi temporis arrodet, consumetq; ingluvies.
Solidissimum
In virtute, eruditione, & modestia fundamentum,
excepit molem duraturam sæculis;
quia fastu non tumentem, nec vana meritorum præsumptione,
in lubrico turbinatam.
Inde Tibi à teneris cum docili ingenio,
Animus disciplinæ patiens, & timoratæ conscientiæ plenus;
cumq; præcellenti ingenio totum debeas,
quidquid in Te Pallas erudita congessit;
suxisti ex prima institutione,
Illum ueræ sapientiæ nobilem succum;
Æstimare potius in alijs dona Cælitus data,
quàm ambire æstimari.
Ergo, & Philosophica decora,
Quæ Tibi in coronamētum, egregij profectûs concesserāt,
Accepisti vt incitamenta Virtutis, non vt ambitionis flabella;
vnum illud cogitans,
Philosophum non pallio, vel titulo censeri;
sed totum haberè intùs, quod etiam sine titulo magnificum est:
& quoniam ad labores Academicos ibas,
sine cerussa, sine fuco, delicatisq; respirijs;
elegisti spartam Academicam
Omnium laboriosissimam;
in qua operareris, non computans annos, vel tædia;
sed in censù reponens, sudatam sine vmbraculo frontem,
Anhelantesq; sine respectu, & absq; solatio curas.
Genius mentis Tuæ,
quamvis inter severiores Philosophantium porticus,
non superciliosos Catones, non morosos Cynicos,
nec in rigida Stoa sinapi mordentes Zenonas,
vel è cavernis abstrusarum cogitationum, amara flamina spirans;
sed comis, sed placidus, sed tractabilis,

plus

plùs egit ſuavibus Etheſijs,
Quàm ſtridens Æolus ventis, & turbine toto.
Indè Tibi Gratiæ,
& viſcera cordium, etiam apud impervios patentia;
Indè claritudo Nominis, & deſiderium noſcendi Virum;
cui nemo oris alloquia dedit, quin corde adhæſerit.
Indè celſiſſimi ſanguinis,
Pignora Tibi paſſim credita;
& in Dactyliotheca Virtutis, ſapientiæ, fideiq; Tuæ,
non Erythræi Maris, nec Ægyptiæ gazæ;
ſed pretioſiſsimi, ex Sarmatiæ Clenodijs depoſiti
Vniones.
Erymanthium certè caput,
Illuſtriſsimæ Donhoffianæ Proſapiæ,
Tu novus Hercules, non inter ſpolia victoriæ computaſti;
ſed auguſtum, ſapiens, Orbiq; feciſti viſendum;
ut ævi noſtri Minerva,
non iam ex cerebro Iouis, ſed ex hoc capite naſceretur.
Quantus gloriæ Tuæ proventus!
quanta curarum Tuarum felicitas!
quod in ea Domo, pro Corona ſapientiæ,
& pro palma glorioſæ inſtitutionis laboraveris;
quam nunc Eminentiſsima Cardinalitia purpura,
quam Supremi Cancellariatus Regni Sigillum,
& cor in eo Regale coronat.
Tibi quoq; lilia candoris ſui,
quibus inter auguſta Gratiarum viridaria paſcitur;
Tibi aurei velleris inæſtimabile pretium,
Supra omnes Iaſones æſtimatus, & Colchidem totam,
Tiaratisq; Coronatus gemmis,
Agnus ZAŁUSCIANUS debet.
Aperuit ille librum, & ſoluit ſeptem ſignacula eius,
arcanis Sapientiæ myſterijs plenus;
& in cuius ore, ac pectore dulci, nihil aliud legitur,
niſi liber ſapientiæ, liber vitæ.

 Sed ape-

Sed aperuit illum, clavi illa aurea,
cuius in Te obryzum,
plusquàm Lydius ille animorum lapis,
& in Orbe erudito Crisis illa maxima,
Magnus olim,
& omnes titulos suos, magnitudine gloriæ supergressus,
ANDREAS OLSZOWSKI,
ARCHIEPISCOPVS GNESNENSIS,
Regniq; Primas, Primusq; PRINCEPS,
limatissimo iudicio probavit.
Coram tantæ sapientiæ, & Eloquentiæ purpura,
Coram qua etiam Aristarchi rubuêre,
Tu æstimationis Tuæ securrus, non erubuisti;
quòd in Agno eius consanguineo, vsq; ad pretiosa monilia,
in Regum pectore deponenda,
exquisitæ manus sapientiæ, & tota eloquij Attica elaboraverat;
& quod exotici etiam Soles stupuêre;
cum aurei velleris augustissimum, quia Regum insigne,
ab eo præcelsi Nominis Nepote,
Hispaniarum, & Indiarum corona recepit;
cuius augustum in Polonia IOANNEM,
quo non surrexit maior,
Magnus in Regem coronavit Avunculus.
Te quoq; Europa iam tùm non ignoraverat,
cùm Parisij salutassent;
sed Tu lilieta hæc Narcissis, & Gratijs relinquens,
Ad masculum in Patria redijsti Septemtrionem,
Virum cogitans, & opera Heroica poscens,
pulcherrimumq; omnium ducens.;
Robusta Virtute, & sapientiâ eminere,
non Mycenis; sed inter cordatos Laconas;
vbi Ephori Principes animorum sunt,
qui mentis Principatu Nobilissimi.
Hìc inter Optimates sapientiæ,
Cùm omnia benè, fido labori Tuo succederent;
vnum ex omnibus optimum,

Benè

Benè Aquinaticum,
Pro disertissimi oris Tui gloria,
benè & sapientèr conclusit.
Illud nimirùm Benè Aquinaticum,
Quod pro Thoma locutum, nihil meliùs dixit;
& cùm nullam mercedem, nisi TeDomine postulat,
an non optimam partem elegit?
ergò dicite iusto benè;
Et cùm bonum sit sui diffusivum,
etiam Galliæ Eminentissima à Forbin purpura nôrit,
quàm augusto ore loquaris, & scribas calamo benè.
Et Tu profectò oculatissima,
Illustrissimorum Principum LVBOMIRSCIORVM,
in fonte vitreo fluminis Tui,
velut in speculo Crystallino benè vidisti,
benè iudicasti pupilla;
cùm vnicum tanti sanguinis, & cordis ocellum,
Argo huic, oculi & animi tersissimi
concredendum decrevisti;
aliud quidem volentibus, qui per Illustrissimum IOSEPHUM
filium accrescentem,
res suas, & partes accrescere, sublimariq; ambiverant;
sed de filio nemo meliùs iudicavit,
vt Regiè in Schola Regni, iuxta augustæ mentis Genium,
ad eruditionis limam, & Palmam informaretur;
quàm ipse, qui ex eodem fonte sat feliciter libaverat,
fons & Parens celsissimæ in filio Indolis
A L E X A N D E R.
Viderat hic in Te,
quod Excellentibus ingenijs proprium,
dotes animi præclaras, sed non protuberantes,
non ostentatricis gloriæ avidas, vel in assentationem proiectas,
aut Thrasonum distentis follibus tumentes;
sed modestas, sed intra se rigidiorem sui censuram habentes;
susceptæ quidem provinciæ pares;
sed iusto metu, quid, & quantùm susceperint expendentes;
cùm in pretiosissima Principis SRENIAVæ concha,
vna hæc fuerit margarita;

cui si pretium sine mensura, certè excubiæ quoq;
sine demissa in quietem palpebra debebantur;
vt qui monile hoc, orbis, & Patriæ delicio seruabat,
Epidaurio serpente cerneret acutiùs, diceretq;
ego dormio, sed cor meum vigilat.

Ergò

Illustrissimi IOSEPHI Princeps animus,
cùm ductu Tuo, in Generali Vniversitatis nostræ Studio,
eruditi profectûs prætextam èxuisset;
Orbi Europæo iam visendo par,
ivit extra Patriam, visendus ipse magis,
& animi Maiestate augustior;
quàm augusti, qui in eo defixi hæserant,
Principum fuêre oculi.

In hac specie,

purpuratis iam tum Senatorijs curulibus digna,
legebat magni Aui,
STANISLAI LVBOMIRSKI, Palatini Cracoviẽsis,
Virtutum, & heroicæ gloriæ speciosissima lineamenta,
Augustissimus Romanorum Imperator
L E O P O L D V S.
delectatus ex eo, quod FERDINANDI III. Imperatoris,
Patris sui, iudicium augustum non errasset;
quod eum, inter Sacri Romani Imperij Principes cooptaverit.

Viderunt hanc

Germanicæ, Belgicæ, Gallicæ oræ,
cum omnibus Musis, & Gratijs, verè Achatem gemmam,
ab ipso Christianissimo Rege,
satis augustè æstimatam, eoq; loco habitam;
quo selectissima magnarum mentium Cimelia,
haberi in Cimeliarchio Principum solent.

At Tu

à summi, & præcellentissimi animi Viro,
P E T R O olim K O R Y C I N S K I,
Præposito Generali Miechoviensi,
ad impetrandas contra Turcarum immanem potentiam,
ab Orbis Christiani Principibus suppetias,
Extra-Ordinario Legato, in Hi-

in Hiſpaniam, & Luſitaniam,
Secretarius tantæ Legationis Pariſijs dilectus,
quam dilecta aureo illi pectori anima fueris,
quantùm pro eo, ob infirmiorem valetudinem toties decumbente,
cùm Celſiſſimis Principibus,
Miniſtris ſtatûs vtriuſq; Monarchiæ egeris;
ſi linguæ hominum deſint,
gemmifer ipſe Tagus, qui Luſitaniæ Vliſiponem alluit,
gemmis ſuis, non linguis peroret;
aut vicinum Gadibus, Herculeum *Non plus vltra*,
de Te coram Maieſtate illa,
Solem vtrumq; Orientem, & Occidentem complexa,
Arctoi Orbis Maieſtatem,
& aureæ bipennis KORYCINIANæ ſplendores,
cultu nitidiſsimo ſupportante,
magnificentiùs quàm *plus vltra* loquatur.
Reſtabat iam ſola,
cæleſti minor in terris, ſed tamen Cælorum Vicaria,
Vaticana Maieſtas;
cui cum Principe LUBOMIRSCIO Romæ acclinis,
gratias omnes in eum,
ab INNOCENTIO XI. Pontifice Maximo,
& ab Eminentiſsimo S. R. E. Cardinalium Senatu,
copioſè effuſas,
recepiſti gratiarum ſinu capaciſsimo,
mille delibutus lætitijs, & in mille ſolatia diffluens;
cùm videres Illuſtriſsimum IOSEPHVM,
vbiq; gratijs accreſcentem, vbiq; SRENIAUIAM gemmam.
Sed hoc gemmis cariùs omnibus,
quod cùm Eminentiſsimo CAROLO BARBERINO,
S. R. E. Cardinali, Protectore Poloniæ,
ille tuus gemmeus Princeps,
Te quoq; ſtimulo pietatis cooperante,
apud Sacram Rituum Congregationem effecerit;
vt proceſſu ſuper vita, & Miraculis Divi Tutellaris noſtri,
B. IOANNIS CANTII,
& ſuper cultu eius immemorabili approbato,
atq; ſub ritu Duplici, Feſto eius,
per vniverſam Poloniam celebrari conceſſo,
C inter

inter Confessores Ecclesiæ,
magnus Doctorum, & Professorum Patriarcha,
nunc gloriosè triumphet.
Sic ad triumphantem cum eo,
Poloniæ, & Academiæ lætitiam;
cum Themidis, & Theologica lauru Doctorali redux,
peraugustis Collegij Maioris Patribus incorporatus,
ad PANTHEON illud,
non æris quidem Corynthiaci columnis;
sed Magnis rei literariæ Atlantibus suffultum venisti;
in quo Te Divi omnes in compendio excepêre.
Respiria hîc nulla,
sed motus laborum, ceu in primo mobili continuus.
Te quoq;
Philosophum, Theologum, Ecclesiastem,
ac deniq; Vniversitatis Procuratorem,
ad Maiestates Regias, ad Generalia Ordinum Regni Comitia,
ad Tribunalitiorum Iudiciorum grande Senaculum,
sæpiùs delegatum,
clarum vbiq;, & eximium, ad summa omnia exercuit;
dignum etiam,
cuius Musæum, & lares Stagyriticos,
Serenissima MARIA CASIMIRA,
Regina Poloniæ,
cum Serenissimis IACOBO, & ALEXANDRO,
Poloniæ Principibus,
augusta præsentia inviseret;
cùm Serenissimus, & Invictissimus
IOANNES III.
ad triumphalia Viennensia invictam mentem præparans,
& ad opportuna tanto bello suffragia Cantiana suspirans,
Sacrum, & venerabile, ac verè Basilicum,
Domus Maioris PANTHEON invisisset.
Quid hac præsentia augustius?
quid dici de Te maius unquam potuit?
quàm quod Bellatorum, & triumphatorum maximus,
quo non surrexit maior IOANNES,
benè

benè de Te per tot oracula dixit;
post quæ dicere ampliùs nefas esset,
& solo Te silentio deceret venerari;
nisi publicæ lætitiæ magnitudo vehementiùs vrgens,
etiam mutas faceret vocales,
& incredibili gaudio consonantes.
Ex his ego Memnonis sum statua,
sed per Te Solem meum vocalis;
idemq; informis operarius;
sed immortalis gloriæ Tuæ Spiritu animatus;
qui Tibi PANTHEON Theologici honoris augustum,
dum in facie orbis erigo,
nunquam Te mori cuperem;
vt viverem tecum & in Te,
operum immortalium Architectus.
Hoc Tibi ex animo, quò Te pariter amat, vt æstimat,
PERILLVSTRIS, & REVERENDISSIMVS DOMINVS,
STANISLAVS BVZENSKI,
Decanus Varmiensis,
eruditarum mentium, sæculi nostri, facilè Princeps,
Musarum Vniversitatis nostræ, amor, & delitium,
inter solennia honoris Tui, quid ni voveat?
quod inter dulces, vitæ suæ lubentias computasset,
ipse quondam Principum, & Antistitum sapientiæ, erudita voluptas,
MATHIAS CASIMIRVS TRETER,
Secretarius Regius,
vsq; ad festiva hæc Responsionis Tuæ hilaria,
si illi par vita, vt amor in Te respondisset.
Iam ergò vota habe,
cum Elogia, & Panegyres superaveris.
PANTHEON Tuum, Divorum Augustale,
in quo non Saturnus falcem, Iuppiter fulmina,
Mars Clypeum, Apollo Cytharam, Mercurius caduceum,
Pallas ægidem, & sarissam;

 sed Pi-

ſed Pietas, Virtus, Sapientia,
animi probitas, morum elegantia, comitatis dulcedo,
iudicij, & eloquii vigor, atq; cum his omnibus,
quæ corda omnium allicit, prona Tui demiſsio,
donorum cæleſtium medullam depoſuit;
quod nunc Tibi cùm Doctorali faſtigio patet,
cùm omnibus Gratijs, plauſibus, & triumphis pateat;
donec ad Sacratiſsimum illud Auguſtale
ſerò venias;
in quo duodecim portæ, duodecim margaritæ,
& in quo beata æternitas, vitæ & gloriæ,
non claudit abyſsos.

Nunc verò ſuper Te,
coronamento Virtutis, & Sapientiæ Tuæ,
dùm Septembrem coronas;
gemmis, & pretioſis monilibus onuſtus,
non ſeptimus, ſed milleſimus ex alto,
cum ſorte bona, in MATHIAM decidat imber;
PANTHEONQ; Tuum Divinum,
quia Theologicum coronet;
in quo de Divinarum Perſonarum proceſsionibus,
quoniam ſapientiſsimè, & ſubtiliſsimè diſputâſti;
ad ſublime Tuum Doctor Theologus,
tramite coronato procedens,
intende, proſperè procede, &

R E G N A.